



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Ad eum Lutherus se confert.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

therum noluerit audire. Cum igitur coronatus in Imp. Romanum Carolus Hispaniarum Rex, iuuenis non minus generosus quam Christianus & Catholicus, ex inferiore Germania, ubi tunc erat, in Germaniam superiorem proficisci, nouum hunc Prophetam audire, eiusque insaniam, quæ magnum malum Christianæ Reipublicæ minabatur, compefcere statuisset, à Pontifice, qui in hunc finem Hieronymum Aleandrum ad eum ablegarat, præcipue incitatus Comitia VVormatiam indicta fuerunt ad seq. Anni initium futura Circa id tempus Lutherus librum suum De Ecclesiæ Reformatione, eidem Imperatori dedicarat, in quo valde se humiliat, & S. Athanasij exemplo, ad pedes ipsius tamquam ad aram & asyllum se prosternit, *per omnia sacra obsecrans, ut vim inimicorum, qui persequi ipsum non cessarent, omnesque conatus ad extinguendū una cum ipso Euangelium dirigerent, à se depellant.* Sic ille loquebatur, sic scribebat: tum omnes contentiones quæ inter Pontifices & Imperatores olim intercesserant, ac præcipue de Neapolis & Siciliæ regno, velut è sepulchro rursus protrahebat: iuuenem hunc Principem vehementer exhortatus, *ut ne auctoritatem suam eripi sibi ac pedibus conculcari patiretur, ut qui non minus iuris & imperij in clericis quam reliquos haberet, quos illi male Laicos appellarent: quum per Bapismum consecrati omnes & sacerdotes facti sumus.* Hoc modo Lutherus in bonam Caroli gratiam & fauorem insinuare se studebat: vt que ijs quæ scripserat, pietatis, deuotionis & sanctitatis opinionem conciliaret, omnium paginarum frontispicijs Iesv nomen præfigebat; interim vnice illud spectans vt Imperatorem cum Papa committeret, quod effecturum se non semel iactârat, eo præcipue confusus, quod Imperatorem alieniori esse à Leone animo speraret, vt qui eius electioni quantum poterat obliuisset. Quæ tamen spes valde illum fefellit: quod Religiosus hic Princeps suas iniurias insuper haberet, vt quo Deo illatas vindicaret. Lutheri iâ ante non leuè terrorem incusserat, quod Imperator in omni ditione sua Belgica libros ipsius cremari iusserat: quod etiam in quibusdam ciuitatibus Imperialibus, vt Colonia ac Mogantiæ, factum fuit. Porro Fridericus Saxonix Dux ubi accepit Imperatorem VVormatiam proficisci, magnis itineribus & ipse eodem contendit, vt prius Imperatorem salutaret, ac in meliorem de Luthero sententiam adduceret, quæ sanctæ vitæ atque doctrinæ hominem esse assuebat. Econtra Hieronymus Alexander Pontificis

Legatus, XL articulos è Lutheri libris excerptos, & hæreseos iam olim à Concilijs damnatos, in frequentissimo Principum ac Statuum Imperij confessu, recitauit: atque hoc effecit vt alter alterum intueri, & contra Lutherum eiusque fautores murmurare inciperent. Quod ubi sensit Dux Fridericus, declinandæ inuidiæ causa dixit, *Eos articulos non esse Lutheri, sed in eius odium ab aduersarijs confictos; neque librum illum De captiuitate Babylonica ex Lutheri officina prodisse, sed supposititium esse.* Ex aduerso Aleandro ipsissimos hos Lutheri esse factus afferente, ac re ad alterationem delapsa, visum fuit Imperatori ac Principibus, Lutherum ipsum accersendum esse, ne inauditum se damnatum esse quæri posset. Lutherus accepto celeriter eius rei nuncio pelli suæ ante omnia consultum voluit, eoque saluum conductum non Imperatoris tantum, sed Imperij quoque Principum manu signatum petiit. Annon vero digna hæc cœlitus ad perditam restaurandam Christianam fidem, misto Prophetâ videtur constantia? Illi olim prisce religionis Antistites, tyrannos adituri, & in ipso quasi Sathanæ sterquilinio Euangeliū prædicaturi, an vllam vitæ suæ securitatem expetebant? Certe tantum abest, vt honestam eius perdendæ quæsierint occasionem. Sic igitur pro vnus Monachi saluo conductu publicæ expeditæ sunt & signatæ litteræ; adiecta ista conditione, *vt Lutherus in itinere neque concionaretur vsquam nec scriberet; misusque est VVittebergam Imperialis caduceator, qui cum VVormatiam deduxit, comitantibus Iona Ecclesiæ VVittebergenfis Præposito, D. Schurffio Iuriconsulto, & Amsdorffio, quem postea Lutherus primum & vltimum sua manu Episcopum consecrauit, vt suo loco infra dicitur.*

II. Ad hanc famam viz passim & compita quicumque iter faciebat Lutherus ingenti hominum multitudine Monachi huius (cucullo enim tunc adhuc indutus erat, quem Anno MDXXIII. demum abiecit) videndi desiderio accurrentium, complebantur. Ipse Lutherus curru in modum lecticæ facto & vmbroso vehebatur, non iam vti olim quando ad Legatū proficiscebatur, pedibus suis inequians. In diuersorij multa propinatio, læta compositio, Musices quoque gaudia, adeo vt Lutherus alicubi sonora testitudine ludens, omnium in se oculos conuerteret, velut Orpheus quidam aut Amphion, sed rarus adhuc & cucullatus, eoque mirabilior. Non hoc

H 2

orna-

a Bzouius in Annal. An. 1521.

ornatu Fr. Thomas, de quo supra, vitia reprehendendo & rebellionem Lutheri prædicendo, varias regiones obiens, incessit vilissimo, vestitu duro & aspero, pera denique, in qua omnis eius erat suppellex, contentus. Quamuis autem ea lege saluum conductum Cæsari ei dedisset, ut in itinere nullibi concionaretur aut scriberet: Erfordiae tamen Dominica in Albis, contra Peregrinationes religionis ergo, Vota, & alios Catholicæ Ecclesiæ ritus publice prædicavit: Gaspare Sturmio caduceatore conueniente, & sedulo omnia quibus Lutherum oblectare posset, providente. Certe Lutherum data fides iure quam optimo reuocari potuisset, ut qui prior legem sibi præscriptam violasset. Qui enim contra legem delinquit, eius beneficio indignus est. Sed cum caduceator ille fidem & Ecclesiæ proderet, Deus suæ sponsæ deesse monendo noluit, nam templum, in quo Lutherus concionabatur ruinam minari visum fuit, cum terribili cōsternatione erumpere conantium, ut Dresserus, eiusdem cum Lutheri opinionis, testatur testis oculatus.

III. Venit ergo Wormatiam, hoc modo & hoc comitatu quem diximus Lutherus, die xvi. Aprilis Anno MDXXI. cum pridie nempe 15. Aprilis Parisijs Lutheri libri fuissent damnati. (a) Et ad Imperatorem introductus, ac humaniter, ne terrorem causari posset, receptus 17. April. monitus is tunc fuit, ut omnis ambagibus, ad qua sita tantum responderet. Tum Eccius vir tam Theologiæ quam Iuris prudentiæ peritissimus, Treuirensis Archiepiscopi Officialis, Cæsaris nomine Lutherum primo Latine, deinde ut ab omnibus intelligi posset, Germanice rogavit, uti tum libros hæcenus sub ipsius nomine vulgaros pro suis haberet, & quod in iis continetur defendere veller. Tum Lutherus simulans se Imperialis illius Maiestatis intuitu percutsum, vel potius suæ ipsius conscientia perturbatus, aliquantulum obmutuit: deinde paulum recollecto animo, libros suos titulo tenus recitatos agnouit & nunquam abnegaturum dixit: verum quum defensio eorum vel reuocatio, quæ ijs continentur res sit tanti momenti, spacium deliberandi petere. Ad hæc Eccius: *Esistu Martine, ex mandato Cæsaris satis intelligere potuisti ad quid accersitus sis, eaque de causa indignus cui longior cogitandi mori datur. Cæsarea tamen Maiestas ex innata sibi clementia diem unum indulget meditationi tuæ, ut eras ad eandem horam hic compareas, ea conditione ne scripto sententiam tuam proponas, sed ore exsequaris. Obseruet hic Lector*

Luthero fuisse catalogum librorum suorum exhibitam, inter quos & ille fuit De captiuitate Babylonica agnitus. quem Dux Lutheri esse negat, ut vel hinc appareat inordinatus & cæcus Enderici Electoris affectus in causa Lutheri. Postero die 18. Aprilis ad confitutam horam reductus Lutherus, videns se in tam illustri cœtu stantem qui antehac in monasterio educatus fuerat, quasi pudore suffusus (qui tamen in eius fronte nunquam, sed potius summa temeritas & audacia domicilium habuit) rogavit Imperatorem ac Principes, ut si vel verbis vel moribus tam illustri consessu parum dignis vteretur, id sibi ac vitæ generi in quo meliorem ætatis partem consumpsisset, condonarent. Deinde longam ac prolixam orationem Latina linguâ exorsus est, vndique ad Auditorum fauorem sibi conciliandum conquisitis Rhetoricis coloribus distinctam; iam blandiens Principibus, iam terrenis scripturarum exemplis, de Regibus Egypti, Babylonis & Israel, longè admodum petitis. Producto hoc modo, & quidem extra lineam, ut dicitur, in duas fere horas sermone, Eccius qui è vultu Imperatoris & Principum molestantiam quam è tam longa haurirent oratione perceperat, interpellans: *satis, inquit, Lutheri, verborum est. Nihil attinet Cæsaris ac Principum animos tam prolixa oratione fatigare. Ad hoc tantum quod heri ex te quaesitum fuit, simpliciter responde.* Tum Lutherus: *Nisi conuictus fuerot testimonijs scripturarum aut ratione euidentibus (nam neque Papæ neque Concilij solis credo, quum conlittera errasse sapius, & sibi ipsis contradixisse) reuocare neque possum neque volo quidquam.* Deinde distinctionem librorum a se scriptorum fecit, seque veritatem uti eam è S. scriptura hauserat, docuisse præfira esse contendit, obrecto omnibus hæreticis, qui ante fuerunt, vtitato clypeo: protestandas, se minime contumacem futurum; sed errores suos ipsum damnaturum, si quid cum verbo Dei pugnans docuisse foret conuictus. Et quemadmodum Oraacula dæmoniorum ambiguis olim verbis concepta erant, ut varia ac multiplici explicatione ad quemcumque euentum trahi possent: sic Lutherus ad quaestiones sibi ab Eccio propositas aperte nunquam respondere voluit, ut scilicet vndique effugium haberet. Hoc quippe in Arrii schola didicerat, qui quanto magis urgebatur, tanto magis animi sensus ambiguitate velabat.

a. Authores apud Vlenbergium citati in vita Lutheri.